DE CHORO VESPARVM ARISTOPHANIS

DISSERTATIO

SCRIPTA RENVNTIATIONI

XXI DOCT. PHILOS. ET AA. LL. MAG.

CAL. MAIIS A. CIƆIƆCCCXLIII.

RECTORE MAGNIFICO

FRIDERICO ADOLPHO SCHILLINGIO

I. V. D. I. R. PROF. P. O. ECCL. CATH. MERSEB. CAPITVL. ETC.

PROCANCELLARIO

GVILIELMO WACHSMVTHIO

HISTOR. PROF. P. O. REGG. ORDD. LEGION. HONOR. ET DANEBROG. EQVITE ETC. ETC.

DECANO

GVSTAVO HARTENSTEINIO

PHILOS. THEOR. PROF. P. O.

A

GODOFREDO HERMANNO

TH. I. V. ET PHILOS. D. ELOQ. ET POET. P. P. O. ORD. SAX. VIRT. CIV. CENTVRIONE. S. STANISLAI EQVITE CLASS. II. VNIV. ET ORD. PHIL. SENIORE CET.

LIPSIAE,

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.

Quod in tragoediis Graecorum usitatum fuit, ut chori vel aliquot personae vel omnes singulae separatim loquerentur canerentve, id etiam comoediarum scriptores imitatos esse Vespae Aristophanis duobus carminibus testantur luculentissime. Chorum illius fabulae Aristophanes ex senibus composuit, hominibus pauperibus, cupidissime fungentibus munere iudicum, quo et vitam mercede iudiciali sustineant et expleant invidiam suam multandis divitibus, quos proditionis insimulaverint. Similis apud nos quoque olim damnandi cupiditas in mulieres artium magicarum suspectas saeviit; nunc autem contrarium furorem mollities seculi caussidicis et iudicibus inspiravit, quum homines facinorosos ut mentis non compotes subtrahere supplicio allaborant. Sic hodierna fere ubique similia antiquis inveniuntur. Illi igitur Aristophanis damnatores senes ante lucem pueris laternas praeferentibus ad tribunal tendunt, in via Philocleonem evocaturi, quem eadem illa cupiditate flagrantem filius domi in custodia tenet. Pueri isti si nihil nisi praelucerent, facile videri possent non esse in choreutis numerandi. At et colloquuntur cum senibus et canunt; postea autem, Cleonem arcessere iussi, abeunt ab orchestra. Ac putet quis fortasse segregandos esse a viginti quattuor choreutis, non solum quia dimittuntur ubi non amplius opus est pueris, sed etiam quod spectatorum caussa veros introduci pueros oportuerit, ne offensui essent adulti puerorum partibus fungentes: potuisse enim dicta istorum puerorum eodem modo, quo quum in tragoedia pueri loquuntur, a choreutis vel histrionibus recitari canive. Quamquam hoc parum veri simile est. Nam quod horum argumentorum gravissimum est, non recte pueros ab adultis agi, id non magni ponderis esse videbitur, si quis meminerit etiam in re scenica, ut in picturis et anaglyphis, multa signis quibusdam indicata, res ipsas autem imaginationi spectantium relictas esse. Quod si iis choreutis, qui statura brevissimi essent,

púerorum partes tributas putabimus, poterant illi eo facilius pro pueris haberi, quod ornatus eorum pueros significabat. Notum est enim ex iis, quae Pollux rettulit, singulis et aetatibus et ingeniis et officiis certas personas certosque quum vestium tum maxime capillamentorum ornatus constitutos fuisse, ut, simulatque quis conspiceretur, statim quis et qualis esset spectatores intelligerent. Sumamus igitur ex choreutis captos esse pueros. Eos autem quot numero fuisse censebimus? In libris quidem quae pueris tribuuntur, trium esse puerorum videntur. Cuius rei rationem hanc esse, quod isti tres in fine fabulae ad saltandos Carcini poetae tragici filios, quorum nota erat corporis brevitas, adhibiti fuerint, suspicatus est Carolus Beer, Coburgensis, perutilem ille olim operam Aristophanis comoediis praestiturus, quippe nisi accurata interpretatione praegressa vanam esse emendationem sciens. Illa in ultima scena, quae est a v. 1474. quum soli duo histriones in scena sint, quorum alter servum Xanthiam, alter Philocleonem agit, praeter hos autem prodeant tres Carcinidae, nihil illi quidem verborum facientes, sed una cum Philocleone omnes simul saltantes, ad eam saltationem choreutis opus erat, dum tertius histrio, ut videtur, Carcini personam gerens, spectatum accedebat. Saltationem istam in orchestra actam prodere videtur finis fabulae, qui hic est:

ΧΟΡ. Φέρε νῦν ἡμεῖς αὐτοῖς ὀλίγον ξυγχωρήσωμεν ἅπαντες,
ἵν' ἐφ' ἡσυχίας ἡμῶν πρόσθεν βεμβικίζωσιν ἑαυτούς.
ΗΜ. α'. ἄγ', ὦ μεγαλώνυμα τέκνα στρ.
τοῦ θαλασσίου θεοῦ,
πηδᾶτε παρὰ ψάμαθον καὶ
θῖν' ἁλὸς ἀτρυγέτοιο,
καρίδων ἀδελφοί.
ΗΜ. β'. ταχὺν πόδα κυκλοσοβεῖτε, ἀντ.
καὶ τὸ Φρυνίχειον
ἐκλακτισάτω τις, ὅπως ἰ-
δόντες ἄνω σκέλος ὢ ὤ-
ζωσιν οἱ θεαταί.
ΗΜ. α'. στρόβει, παράβαινε κύκλῳ καὶ γάστρισον σεαυτόν. στρ.
ῥῖπτε σκέλος οὐράνιον· βέμβικες ἐγγενέσθων.
ΗΜ. β'. καὐτὸς γὰρ ὁ ποντομέδων ἄναξ πατὴρ προσέρπει, ἀντ.
ἡσθεὶς ἐπὶ τοῖσιν ἑαυτοῦ παισὶ τοῖς τριόρχοις.

XOP. ἀλλ' ἐξάγετ', εἴ τι φιλεῖτ' ὀρχούμενοι, θύραζε ἐπ.
ἡμᾶς ταχύ. τοῦτο γὰρ οὐδείς πω πάρος δέδρακεν,
ὀρχούμενον ὅςτις ἀπήλλαξεν χορὸν τρυγῳδῶν.

Sic haec scribenda sunt, in quibus *κυκλοσοβεῖτε* ex G. Dindorfii coniectura assumpsi. Videbuntur haec bene inter se congruere, tres choreutas, qui postquam pueros egerunt ad Cleonem ablegati sunt, in fine fabulae ut filios Carcini redire, eoque confirmari numerum trium puerorum. Et tamen hic numerus valde suspectus est. Non solum enim qui dimissis tribus pueris relinquuntur unus et viginti senes insolitam praebent chori quadrati formam ter septenum vel septies ternum choreutarum, sed etiam, quum in re scenica omnia aequaliter distribui mos fuerit, perturbaretur iusta personarum descriptio, nisi quattuor pueri ad Cleonem ablegarentur. Conveniunt autem quattuor etiam eo, quod choro in quater senos diviso singuli ordines puerum cum laterna habent. Pluribus quidem quam quattuor pueris ad praelucendum non opus erat, ineptusque fuisset poeta, si sine caussa minuisset numerum senum. Neque vero credibile est, solum de toto choro quartum puerum mutam personam egisse. Et est profecto inter ea, quae senes loqui putabantur, quod puero isti dandum videatur. Mansisse igitur in orchestra credemus viginti senes, postquam pueri abierunt.

Venio nunc ad id, quod ostendere volebam, Aristophanem omnes viginti quattuor choreutas singulatim loquentes fecisse. Quod ille sic instituit, ut conservaretur aequalis partium distributio, et consociaretur tamen cum liberiore forma familiaris colloquii. Nam in primo carmine a v. 230. duo sunt sermones, unus versibus scriptus iambicis septenariis XVIII. qui est inter primos sex choreutas divisus. Eum alter sermo excipit, habens versus XXV. ex dimetro iambico et trochaico ithyphallico, in quo alii sex, quorum duo, ut opinor, pueri sunt, inter se colloquuntur. Sequitur cantus duo stropharum paria continens, cuius in utravis primarum stropharum quattuor choreutae canunt, alterae autem duae strophae inter eos, qui reliqui sunt quattuor choreutae, sunt divisae. Decantatis his strophis respondet choro intus Philocleo. Tum statim sequitur alterum carmen, colloquium continens chori cum Philocleone, interloquentibus huius filio Bdelycleone et servis Sosia, eique succedente Xanthia. Huius quoque carminis in priore

parte singulae strophae sex senum dicta habent; in altera autem parte, quoniam dimissis pueris octo senes remanent, his dari conveniebat quae antistrophica sunt. Quum vero in illa parte senes loquantur quattuordecim, sex senes iterum functi sint dicendi officio necesse est. His igitur ea quae non sunt antistrophica assignari oportebat. Itaque in ista parte illius carminis iterati sunt numeri primorum sex senum. Sed quoniam haec nisi oculis subiecta iudicari nequeunt, adscripsi ipsa carmina additis numeris loquentium, subiectisque adnotationibus, ubi aliquid monendum videbatur.

ΧΟ. ά. χώρει, πρόβαιν᾽ ἐρρωμένως. ὦ Κωμία, βραδύνεις;
μὰ τὸν Δί᾽, οὐ μέντοι πρὸ τοῦ γ᾽, ἀλλ᾽ ἦσθ᾽ ἱμὰς κύνειος.
νυνὶ δὲ κρείττων ἐστί σου Χαρινάδης βαδίζειν.
ΧΟ. β΄. ὦ Στρυμόδωρε Κονθυλεῦ, βέλτιστε συνδικαστῶν,
Εὐεργίδης ἆρ᾽ ἐστί που ᾽νταῦθ᾽, ἢ Χάβης ὁ Φλυεύς;
ΧΟ. γ΄. πάρεσθ᾽, ὃ δὴ λοιπόν γ᾽ ἔτ᾽ ἐστίν, ἀππαπαῖ παπαιάξ,
ἥβης ἐκείνης ἡνίκ᾽ ἐν Βυζαντίῳ ξυνῆμεν
φρουροῦντ᾽ ἐγώ τε καὶ σύ, κᾆτα περιπατοῦντε νύκτωρ
τῆς ἀρτοπώλιδος λαθόντ᾽ ἐκλέψαμεν τὸν ὅλμον,
κᾆθ᾽ ἥψομεν τοῦ κορκόρου κατασχίσαντες αὐτόν.
ΧΟ. δ΄. ἀλλ᾽ ἐγκονῶμεν, ὦνδρες, ὡς ἔσται Λάχητι νυνί·
σίμβλον δέ φασι χρημάτων ἔχειν ἅπαντες αὐτόν.
ΧΟ. ε΄. χθὲς γοῦν Κλέων ὁ κηδεμὼν ἡμῖν ἐφεῖτ᾽ ἐν ὥρᾳ
ἥκειν ἔχοντας ἡμερῶν ὀργὴν τριῶν πονηρὰν
ἐπ᾽ αὐτόν, ὡς κολωμένους ὧν ἠδίκησεν. ἀλλὰ
σπεύδωμεν, ὦνδρες ἥλικες, πρὶν ἡμέραν γενέσθαι.
ΧΟ. ς΄. χωρῶμεν, ἅμα τε τῷ λύχνῳ πάντῃ διασκοπῶμεν,
μή που λίθος τις ἐμποδὼν ἡμᾶς κακόν τι δράσῃ.

ΠΑ. ζ. τὸν πηλόν, ὦ πάτερ πάτερ, τουτονὶ φύλαξαι.
ΧΟ. ή. κάρφος σὺ χαμόθεν νυν λαβὼν τὸν λύχνον πρόβυσον.

V. 242. Legebatur χθὲς οὖν. At hic aut fortiore particula opus fuit, aut dici debuit γοῦν, ut est v. 262.

V. 247. Pro λαθὼν posui λίθος ex cod. Ven. Non est enim quod tot homines grassatorem metuant.

ΠΑ. ζ΄. οὐκ, ἀλλὰ τῳδί μοι δοκῶ τὸν λύχνον προβύσειν.
ΧΟ. η΄. τί δὴ παθὼν τῷ δακτύλῳ τὴν θρυαλλίδ' ὠθεῖς,
καὶ ταῦτα τοὐλαίου σπανίζοντος, ὦ 'νόητε;
οὐ γὰρ δάκνει σ', ὅταν δέῃ τίμιον πρίασθαι.
ΠΑ. ζ΄. εἰ νὴ Δί' αὖθις κονδύλοις νουθετήσεθ' ἡμᾶς,
ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοί·
κἄπειτ' ἴσως ἐν τῷ σκότῳ τουτουὶ στερηθεὶς
τὸν πηλὸν ὥςπερ ἀτταγᾶς τυρβάσεις βαδίζων.
ΧΟ. δ΄. ἦ μὴν ἐγὼ σοῦ χἀτέρους μείζονας κολάζω.
ΧΟ. θ΄. ἀλλ' οὑτοσί μοι μάρμαρος φαίνεται πατοῦντι·
κοὐκ ἔσθ' ὅπως οὐχ ἡμερῶν τεττάρων τὸ πλεῖστον
ὕδωρ ἀναγκαίως ἔχει τὸν θεὸν ποιῆσαι.
ΠΑ. ι΄. ἔπεισι γοῦν τοῖσιν λύχνοις οὑτοιὶ μυκῆτες·
φιλεῖ δ', ὅταν τοῦτ' ᾖ, ποιεῖν ὑετὸν μάλιστα.
ΧΟ. ια΄. δεῖται δὲ καὶ τῶν καρπίμων ἅττα μή 'στι πρῷα
ὕδωρ γενέσθαι κἀπιπνεῦσαι βόρειον αὐτοῖς.
ΧΟ. ιβ΄. τί χρῆμ' ἄρ' οὑκ τῆς οἰκίας τῆςδε συνδικαστὴς
πέπονθεν, ὡς οὐ φαίνεται δεῦρο πρὸς τὸ πλῆθος;
οὐ μὴν πρὸ τοῦ γ' ἐφολκὸς ἦν, ἀλλὰ πρῶτος ἡμῶν
ἡγεῖτ' ἂν ᾄδων Φρυνίχου· καὶ γάρ ἐστιν ἀνὴρ
φιλῳδός. ἀλλά μοι δοκεῖ στάντας ἐνθάδ', ὦνδρες,
ᾄδοντας αὐτὸν ἐκκαλεῖν, ἤν τί πως ἀκούσας
τοὐμοῦ μέλους ὑφ' ἡδονῆς ἑρπύσῃ θύραζε.

V. 249. Codex Venetus *χαμόθεν*. Alii libri *χαμᾶθεν*. Ald. *χαμᾶθεν σὺ νῦν*. Unde *σὺ* recepi.

V. 259. Legebatur *βόρβορος*. At quomodo hic senex, altero ut lutum vitaret monito, *ἀλλὰ* dicere potest? quomodo, quod gravius est, si et ipse se in luto incedere sentit, non pluisse potius, quam intra quartum diem futuram esse pluviam dicere? Immo durum sibi atque arefactum solum videri dicat necesse est. Expedit rem optimus ille codex Venetus, qui *βάρβαρον* praebens veram scripturam monstrat.

V. 262. Puero dandum putavi hoc distichon. Horum est enim lucernas observare, ut laternas gestantium.

ΧΟ. ιγ'. τί ποτ' οὐ πρὸ θυρῶν φαίνετ' ἄρ' ἡμῖν στρ. α'.
ὁ γέρων, οὐδ' ὑπακούει;
ΧΟ. ιδ'. μῶν ἀπολώλεκεν τὰς
ἐμβάδας ἢ προσέκοψ' ἐν
τῷ σκότῳ τὸν δάκτυλόν που
λίθῳ, εἶτ' ἐφλογώθη
τὸ σφυρὸν γέροντος ὄντος,
καὶ τάχ' ἂν βουβωνιῴη;
ΧΟ. ιε'. ἦ μὴν πολὺ δριμύτατός γ' ἦν τῶν παρ' ἡμῖν,
καὶ μόνος οὐκ ἂν ἐπείθετ',
ἀλλ' ὁπότ' ἀντιβολοίη
τις, κάτω κύπτων ἂν οὕτω
λίθον ἕψεις ἔλεγεν.
ΧΟ. ις' ὕπαγ', ὦ παῖ, ὕπαγε.

ΧΟ. ιζ'. τάχα δ' ἂν διὰ τὸν χθιζινὸν ἄνθρω- ἀντ. α'.
πον, ὃς ἡμᾶς διαδύετ'
ἐξαπατῶν, λέγων ὡς
καὶ φιλαθήναιος ἦν καὶ
τἀν Σάμῳ πρῶτος κατείποι,
διὰ τοῦτ' ὀδυνηθείς,
εἶτ' ἴσως κεῖται πυρέττων.
ΧΟ. ιη'. ἔστι γὰρ τοιοῦτος ἁνήρ.
ΧΟ. ιθ'. ἀλλ', ὦγαθ', ἀνίστασο, μηδ' οὕτως σεαυτὸν
ἔσθιε, μηδ' ἀγανάκτει·
καὶ γὰρ ἀνὴρ παχὺς ἥκει
τῶν προδόντων τἀπὶ Θρᾴκης,

V. 278. Addidi λίθῳ, quod excidisse et res et metrum indicant. Deinde legebatur εἶτ' ἐφλέγμηνεν αὐτοῦ, quae manifesta interpretatio est, nec potuit vocalis ante γμ corripi.

V. 286. Deerat hic versus. Oportebat vero iisdem verbis hanc stropham finiri, quibus finitur quae sequitur stropha. Cedunt enim hi senes locum suum iis, qui alteram stropham ante domum Philocleonis cantaturi sunt.

ὂν ὅπως ἐγχυτριεῖς.
ΧΟ. κ'. ὕπαγ', ὦ παῖ, ὕπαγε.

ΠΑ. κα'. ἐθελήσεις τί μοι οὖν, ὦ πάτερ, ἤν σού τι δεηθῶ; στρ. β'.
ΧΟ. κβ'. πάνυ γ', ὦ παιδίον. ἀλλ' εἰπὲ τί βούλει με πριάσθαι
καλόν; οἶμαι δέ σε δήπουθεν ἐρεῖν ἀστραγάλους.
ΠΑ. κά. μὰ Δί', ἀλλ' ἰσχάδας, ὦ παππία· ἥδιον γάρ. ΧΟ. κβ'. οὐκ ἂν,
μὰ Δί', εἰ κρέμαισθέ γ' ὑμεῖς.
ΠΑ. κά. μὰ Δί', οὔτἄρα προπέμψω σε τὸ λοιπόν.
ΧΟ. κβ'. ἀπὸ γὰρ τοῦδέ με τοῦ μισθαρίου
τρίτον αὐτὸν ἔχειν ἄλφιτα δεῖ καὶ ξύλα κὤψον·
ἒ ἔ, σὺ δὲ σῦκά μ' αἰτεῖς.

ΠΑ. κγ'. ἄγε νῦν, ὦ πάτερ, ἢν μὴ τὸ δικαστήριον ἄρχων ἀντ. β'.
καθίσῃ νῦν, πόθεν ὠνησόμεθ' ἄριστον; ἔχεις ἐλ-
πίδα χρηστήν τινα νῷν ἢ πόρον Ἕλλας ἱερόν;
ΧΟ. κδ'. ἀπαπαῖ φεῦ, ἀπαπαῖ φεῦ. ΧΟ. κβ'. μὰ Δί', οὔτοι σφῷν ἔγωγ' οἶδ'

V. 297. Quo haec spectarent non latuit Guilielmum Roscherum in eo libro quem de Thucydide scripsit, p. 98. Addere poterat, ipsum historiarum scriptorem Thucydidem eo, quod *ἀνὴρ παχὺς* vocatur, significari.

V. 303. Legebatur *οἶμαι δέ σ' ἐρεῖν ἀστραγάλους δήπουθεν, ὦ παῖ.* Integerrima sunt, quae his in altera stropha respondent v. 312. Quare hic eiectis *ὦ παῖ* mutandus erat ordo verborum.

V. 309. Addidi *ἒ ἔ*, ut est in versu qui huic respondet.

V. 312. Pindari verba, quae Aristophanes spectavit, in scholio sic corrupta prostant: *πανδείματοι μὲν ὑπὲρ πόντιον Ἕλλας πόρον ἱερόν.* Non dubitandum videtur, quin Pindarus de ponte a Xerxe facto scripserit: *τὰν δείματο μὲν ὑπὲρ πόντιον πόρον Ἕλλας ἱερόν.* Consequens est, ut *πόρον* non sit pro *πορισμὸν* dictum, quae est scholiastae interpretatio, inepte redundantibus quae adiecta sunt *Ἕλλας ἱερόν,* sed totum hoc *πόρον Ἕλλας ἱερὸν* significet effugium.

V. 313. Scholiastes codicis Veneti quum videret impeditam esse huius confabulationis rationem, ad *νῷν* v. 312. hoc adnotavit: *τῷ*

ὁπόθεν γε δεῖπνον ἔσται.
ΠΑ. κγʹ. τί με δῆτ᾽, ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες,
ἵνα μοι πράγματα βοσκεῖν παρέχῃς;
ΠΑ. καʹ. ἀνόνητον ἄρ᾽, ὦ θυλάκιόν, σ᾽ εἶχον, ἄγαλμα.
ΠΑ. κγʹ. ἒ ἕ, πάρα νῷν στενάζειν.

ΦΙ. φίλοι, κατατήκομαι
μὲν πάλαι διὰ τῆς ὀπῆς
ὑμῶν ὑπακούων·
ἀλλὰ γὰρ οὐχ οἷός τ᾽ ἔτ᾽ εἴμ᾽
ᾄδειν, τί ποιήσω;
τηροῦμαι δ᾽ ὑπὸ τῶνδ᾽, ἐπεὶ
βούλομαί γε πάλαι μεθ᾽ ὑ-
μῶν ἐλθὼν ἐπὶ τοὺς καδίσ-

δυϊκῷ ἐχρήσατο οὐ κακῶς· παῖδες γάρ εἰσι καὶ πατέρες ὡς ἓν πρόσωπον πρὸς ἕν. Ac legebatur sane etiam hic, *μὰ Δί᾽, οὐκ ἔγωγε νῷν οἶδ᾽ ὁπόθεν γε δεῖπνον ἔσται*, metris non satis exaequatis. Senem istum, qui chori vicesimus secundus est, duos habere filios, apparet ex iis, quae dicit v. 305. et 307 seqq. Eorum puerorum alter ficos sibi emi optaverat: idem v. 317. frustra se sacculum gerere queritur: quod ille quum respondeat ei, qui se infortunio natum dolet, hic alius sit necesse est. Atqui is sine dubio ille est, qui quaesivit, unde victum habituri essent, si archon iudicium non convocaret. Ergo hic non est ille, qui ficos rogaverat, sed frater eius. Is vero recte dicit *νῷν*, se et fratrem in mente habens. Eosdem autem etiam patrem, quum respondet, dicere convenit. Quare, quod etiam metro aptum est, *οὔτοι σφῷν ἔγωγ᾽ οἶδ᾽* exhibui. Praeterea etsi illud *ἀπαπαῖ φεῦ* a patre puerorum dici potuit, tamen satius videbatur, hunc illa tantum quae sequuntur verba dicere, exclamationem istam autem alius senis, qui est quartus et vicesimus, esse, horrenda omnibus illis iudicibus cogitatione exterriti. Ad eum igitur modum personas designavi.

V. 319. Editum erat *φίλοι, πάλαι μὲν τήκομαι διὰ τῆς ὀπῆς*. Codices praebuerunt *φίλοι, τήκομαι μέν*, metro non inusitato quidem, sed hic non apto. Quare *κατατήκομαι* scripsi, ut in versu a metricis turbato.

κους κακόν τι ποιῆσαι.
ἀλλ', ὦ Ζεῦ, Ζεῦ μεγαβρόντα,
ἤ με ποίησον καπνὸν ἐξαίφνης,
ἢ Προξενίδην, ἢ τὸν Σέλλου
τοῦτον τὸν ψευδαμάμαξυν.
τόλμησον, ἄναξ, χαρίσασθαί μοι
πάθος οἰκτείρας, ἤ με κεραυνῷ
διατινθαλέῳ σπόδισον ταχέως,
κἄπειτ' ἀνελών μ' ὑποφυσήσας
εἰς ὀξάλμην ἔμβαλε θερμήν,
ἢ δῆτα λίθον με ποίησον, ἐφ' οὗ
τὰς χοιρίνας ἀριθμοῦσιν.
ΧΟ. α'. τίς γάρ ἐσθ' ὁ ταῦτά σ' εἴργων στρ.
κἀποκλείων τὰς θύρας; λέ-
ξον· πρὸς εὔνους γὰρ φράσεις.
ΦΙ. οὑμὸς υἱός· ἀλλὰ μὴ βοᾶτε· καὶ γὰρ τυγχάνει
οὑτοσὶ πρόσθεν καθεύδων· ἀλλ' ὕφεσθε τοῦ τόνου.
ΧΟ. β'. τοῦ δ' ἔφεξιν, ὦ μάταιε, ταῦτα δρᾶν σε βούλεται,
τίνα πρόφασίν τ' ἔχων;
ΦΙ. οὐκ ἐᾷ μ', ὦνδρες, δικάζειν, οὐδὲ δρᾶν οὐδὲν κακόν,
ἀλλά μ' εὐωχεῖν ἕτοιμός ἐστ'· ἐγὼ δ' οὐ βούλομαι.
ΧΟ. γ'. τοῦτ' ἐτόλμησ' ὁ μιαρὸς χα-
νεῖν, ὁ δεινολογοκλέων; ἆρ'

V. 328. Legebatur *ἀλλ' ὦ Ζεῦ μέγα βρόντα*, quod ineptum est, neque aptum fit scribendo *ἀλλ', ὦ Ζεῦ, Ζεῦ, μέγα βροντήσας*. Reiskii emendatio est *μεγαβρόντα*.

V. 345. Addidi *τ'*. Genuina sunt haec verba et non adiecta interpretando *ἔφεξιν*. Nam si Hesychius *ἔφεξιν* per *χάριν, ἕνεκα, πρόφασιν* interpretatur, non haec est nominis illius significatio, sed solum ille ponere debebat, quod his addit, *ἐποχήν*, quia *ἔφεξιν* non aliter *χάριν, ἕνεκα, πρόφασιν* significare potest, quam ubi quid impediendi cohibendique caussa fieri dicitur.

V. 349. Codices plerique habent *ὁ Δημολογοκλέων, ὅτι λέγεις τι περὶ τῶν νεῶν ἀληθές.* Quod in Veneto legitur *δημολόγος Κλέων*, aperta interpretatio est. Patet haec corrupta esse. Nam hoc nomen *Δημολογοκλέων* vituperationem Cleonis continet, quem tantum abest

ὅτι λέγεις τι περὶ Τορωναί-
ων ἀληθές; οὐ γὰρ ἄν ποθ'
οὗτος ἀνὴρ τοῦτ' ἐτόλμησεν λέγειν, εἰ
μὴ ξυνωμότης τις ἦν.

ΧΟ. δ'. ἀλλ' ἐκ τούτων ὥρα τινά σοι ζητεῖν καινὴν ἐπίνοιαν,
ἥτις σε λάθρα τἀνδρὸς τουδὶ καταβῆναι δεῦρο ποιήσει.

ΦΙ. τίς ἂν οὖν εἴη; ζητεῖθ' ὑμεῖς· ὡς πᾶν ἂν ἔγωγε ποιοίην·
οὕτω κιττῶ διὰ τῶν σανίδων μετὰ χοιρίνης περιελθεῖν.

ΧΟ. ε'. ἔστιν ὀπὴ δῆθ', ἥντιν' ἂν ἔνδοθεν οἷός τ' εἴης διαλέξαι,
εἶτ' ἐκδῦναι ῥάκεσιν κρυφθείς, ὥςπερ πολύμητις Ὀδυσσεύς;

ΦΙ. πάντα πέφαρκται κοὐκ ἔστιν ὀπῆς οὐδ' εἰ σέρφῳ διαδῦναι,
ἀλλ' ἄλλο τι δεῖ ζητεῖν ὑμᾶς· ὀπίαν δ' οὐκ ἔστι γενέσθαι.

ΧΟ. ϛ'. μέμνησαι δῆθ', ὅτ' ἐπὶ στρατιᾶς κλέψας ποτὲ τοὺς ὀβελίσκους
ἵεις σαυτὸν κατὰ τοῦ τείχους ταχέως, ὅτε Νάξος ἑάλω.

ΦΙ. οἶδ'· ἀλλὰ τί τοῦτ', οὐδὲν γὰρ τοῦτ' ἐστὶν ἐκείνῳ προςόμοιον.
ἥβων γὰρ κἀδυνάμην κλέπτειν, ἴσχυόν τ' αὐτὸς ἐμαυτοῦ,
κοὐδείς μ' ἐφύλαττ', ἀλλ' ἐξῆν μοι
φεύγειν ἀδεῶς. νῦν δὲ ξὺν ὅπλοις
ἄνδρες ὁπλῖται διαταξάμενοι
κατὰ τὰς διόδους σκοπιωροῦνται,

ut vituperet chorus, eum ut potius admiretur et studiose sectetur. Neque aut *τῶν νεῶν*, aut *τῶν νέων* dici potuit, non solum quia non apparet quid de navibus aut iuvenibus dicere potuerit Philocleo, sed etiam quia certum quid et singulare nominandum erat, ex quo de proditione suspectus fieret Bdelycleo. Itaque et *δεινολογοκλέων* posui, quo clamosus vituperator Cleonis significatur, et addito *ἆρα* scripsi *περὶ Τορωναίων*. Nam paullo ante quam Vespae editae sunt Torona potitus erat Brasidas factionis cuiusdam Toronaeorum auxilio, quam rem narravit Thucydides IV. 110. seqq. De ista factione quod vera dixerit Philocleo, custodiri eum a filio, ut participe coniurationis, coniicit chorus: eoque respicit etiam infra v. 483.

V. 358. Libri *διορύξαι*. Sed quum Hesychius adnotaverit *διαλέξαι, διορύξαι*, atque etiam in Lysistrata v. 720. *διαλέγουσαν τὴν ὀπὴν* legatur, non videtur dubitari posse, quin usitata locutio fuerit *διαλέγειν ὀπήν*, quod proprie est discernere, hoc est diducere diducendoque aperire.

τὼ δὲ δύ᾽ αὐτῶν ἐπὶ ταῖσι θύραις
ὥςπερ με γαλῆν κρέα κλέψασαν
τηροῦσιν ἔχοντ᾽ ὀβελίσκους.

ΧΟ. ζ΄. ἀλλὰ καὶ νῦν ἐκπόριζε — ἀντ.
μηχανὴν ὅπως τάχισθ᾽· ἕ-
ως γὰρ, ὦ μελίττιον.
ΦΙ. διατραγεῖν τοίνυν κράτιστόν ἐστί μοι τὸ δίκτυον·
ἡ δέ μοι Δίκτυννα συγγνώμην ἔχοι τοῦ δικτύου.
ΧΟ. η΄. ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστ᾽ ἄνοντος ἐς σωτηρίαν.
ἀλλ᾽ ἔπαγε τὴν γνάθον.
ΦΙ. διατέτρωκται τοῦτό γ᾽. ἀλλὰ μὴ βοᾶτε μηδαμῶς,
ἀλλὰ τηρώμεσθ᾽, ὅπως μὴ Βδελυκλέων αἰσθήσεται.
ΧΟ. θ΄. μηδὲν, ὦτᾶν, δέδιθι, μηδέν·
ὡς ἐγὼ τοῦτόν γ᾽, ἐὰν γρύ-
ξῃ τι, ποιήσω δακεῖν τὴν
καρδίαν καὶ τὸν περὶ ψυ-
χῆς δρόμον δραμεῖν, ἵν᾽ εἰδῇ μὴ πατεῖν τὰ
ταῖν θεαῖν ψηφίσματα.
ΧΟ. ί. ἀλλ᾽ ἐξάψας διὰ τῆς θυρίδος τὸ καλώδιον, εἶτα καθίμα
δήσας σαυτὸν καὶ τὴν ψυχὴν ἐμπλησάμενος Διοπειθοῦς.
ΦΙ. ἄγε νῦν, ἢν αἰσθομένω τούτω ζητῆτόν μ᾽ ἐςκαλαμᾶσθαι,
κἀνάσπαστον ποιεῖν εἴσω, τί ποιήσετε; φράζετε νυνί.
ΧΟ. ιά. ἀμυνοῦμέν σοι τὸν πρινώδη θυμὸν ἅπαντες καλέσαντες,
ὥςτ᾽ οὐ δυνατόν σ᾽ εἴργειν ἔσται· τοιαῦτα ποιήσομεν ἡμεῖς.
ΦΙ. δράσω τοίνυν ὑμῖν πίσυνος, καὶ μανθάνετ᾽· ἤν τι πάθω ᾽γώ,
ἀνελόντες καὶ κατακλαύσαντες θεῖναί μ᾽ ὑπὸ τοῖσι δρυ-
φάκτοις.
ΧΟ. ιβ΄. οὐδὲν πείσει· μηδὲν δείσῃς· ἀλλ᾽, ὦ βέλτιστε, καθίει
σαυτὸν θαρσῶν κἀπευξάμενος τοῖσι πατρῴοισι θεοῖσιν.

ΦΙ. ὦ Λύκε δέσποτα, γείτων ἥρως· σὺ γὰρ οἷςπερ ἐγὼ κεχάρησαι
τοῖς δακρύοισιν τῶν φευγόντων ἀεὶ καὶ τοῖς ὀλοφυρμοῖς·
ᾤκησας γοῦν ἐπίτηδες ἰὼν ἐνταῦθ᾽, ἵνα ταῦθ᾽ ἀκροῷο,
κἀβουλήθης μόνος ἡρώων παρὰ τὸν κλάοντα καθῆσθαι·
ἐλέησον καὶ σῶσον νυνὶ τὸν σαυτοῦ πλησιόχωρον·

κοὺ μή ποτέ σου παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω μηδ' ἀποπάρδω.
ΒΔ. οὗτος, ἐγείρου. ΞΑ. τί τὸ πρᾶγμ'; ΒΔ. ὥςπερ φωνή
μέ τις ἐγκεκύκλωται.
ΞΑ. μῶν ὁ γέρων πῃ διαδύεται; ΒΔ. οὔ· μὰ Δί', οὐ δῆτ', ἀλλὰ καθιμᾷ
αὑτὸν δήσας. ΞΑ. ὦ μιαρώτατε, τί ποιεῖς; οὐ μὴ καταβήσει;
ΒΔ. ἀνάβαιν' ἀνύσας κατὰ τὴν ἑτέραν, καὶ ταῖσιν φυλλάσι παῖε,
ἤν πως πρύμνην ἀνακρούσηται πληγεὶς ταῖς εἰρεσιώναις.
ΦΙ. οὐ ξυλλήψεσθ' ὁπόσοισι δίκαι τῆτες μέλλουσιν ἔσεσθαι,
ὦ Σμικυθίων καὶ Τισιάδη καὶ Χρήμων καὶ Φερέδειπνε;
πότε δ', εἰ μὴ νῦν, ἐπαρήξετέ μοι, πρίν μ' εἴσω μᾶλλον ἄγεσθαι;

ΧΟ. α'. εἰπέ μοι, τί μέλλομεν κινεῖν ἐκείνην τὴν χολήν, στρ.
ἥνπερ ἡνίκ' ἄν τις ἡμῶν ὀργίσῃ τὴν σφηκίαν;
ΧΟ. ιγ'. νῦν ἐκεῖνο, νῦν ἐκεῖνο τοὐξύθυμον
ᾧ κολαζόμεσθα κέντρον
ἐντέταται ὀξύ τῳ.
ἀλλὰ θαἰμάτια βαλόντες ὡς τάχιστα, παιδία,
θεῖτε καὶ βοᾶτε καὶ Κλέωνι ταῦτ' ἀγγέλλετε,
καὶ κελεύετ' αὐτὸν ἥκειν ὡς ἐπ' ἄνδρ' ὀλούμενον
μισόπολιν ὄνθ' ὅτι τε τόνδε λόγον εἰςφέρει
μὴ δικάζειν δίκας.
ΒΔ. ὦ 'γαθοί, τὸ πρᾶγμ' ἀκούσατ', ἀλλὰ μὴ κεκράγετε.
ΧΟ. β'. νὴ Δί', ἐς τὸν οὐρανόν γ'· ὡς τοῦδ' ἐγὼ οὐ μεθήσομαι.
ΧΟ. ιδ'. ταῦτα δῆτ' οὐ δεινὰ καὶ τυ-
ραννίς ἐστιν; ἐμφανής γε.
ὦ πόλις καὶ Θεώρου θεοισεχθρία,
κεἴ τις ἄλλος προέστηκεν ἡμῶν κόλαξ.
ΞΑ. Ἡράκλεις, καὶ κέντρ' ἔχουσιν· οὐχ ὁρᾷς, ὦ δέσποτα;

V. 405. Post διαδύεται inserui οὔ.

V. 416. Legebatur ἐντέτατ' ὀξύ. Scripsi plene adiecique τῳ.

V. 419. Codices praebent ὡς ἐπ' ἄνδρα μισόπολιν ὄντα κἀπολούμενον, ὅτι τόνδε λόγον εἰςφέρει ὡς χρὴ μὴ δικάζειν δίκας. Viam emendandi monstrarunt versus antistrophici.

V. 425. Legebatur καὶ τυραννίς ἐστιν ἐμφανής.

ΒΔ. οἷς γ' ἀπώλεσαν Φίλιππον ἐν δίκῃ τὸν Γοργίου.
ΧΟ. ιέ. καὶ σέ γ' αὖθις ἐξολοῦμεν· ἀλλὰ πᾶς ἐπίστρεφε
δεῦρο, κἀξείρας τὸ κέντρον εἶτ' ἐπ' αὐτὸν ἵεσο
ξυσταλείς, εὔτακτος, ὀργῆς καὶ μένους ἐμπλημένος,
ὡς ἂν εὖ εἰδῇ τὸ λοιπὸν, σμῆνος οἷον ὤργισεν.
ΞΑ. τοῦτο μέντοι δεινὸν ἤδη, νὴ Δί', εἰ μαχούμεθα·
ὡς ἔγωγ' αὐτῶν ὁρῶν δέδοικα τὰς ἐγκεντρίδας.
ΧΟ. ιϛ'. ἀλλ' ἀφίει τὸν ἄνδρ'· εἰ δὲ μή, φήμ' ἐγὼ
τὰς χελώνας μακαριεῖν σε τοῦ δέρματος.
ΧΟ. γ'. εἶα νῦν, ὦ ξυνδικασταὶ, σφῆκες ὀξυκάρδιοι,
οἱ μὲν ἐς τὸν πρωκτὸν αὐτῶν εἰςπέτεσθ' ὠργισμένοι,
οἱ δὲ τὠφθαλμὼ κύκλῳ κεντεῖτε καὶ τοὺς δακτύλους.
ΒΔ. ὦ Μίδα καὶ Φρὺξ βοήθει δεῦρο καὶ Μασυντία,
καὶ λάβεσθε τουτουὶ καὶ μὴ μεθῆσθε μηδενί·
εἰ δὲ μή, 'ν πέδαις βαρείαις οὐδὲν ἀριστήσετε.
ΧΟ. δ'. εἰ δὲ μὴ τοῦτον μεθήσεις, ἕν τί σοι παγήσεται.
ΦΙ. ὦ Κέκροψ, ἥρως ἄναξ, τὰ πρὸς ποδῶν Δρακοντίδη,
περιορᾷς οὕτω μ' ὑπ' ἀνδρῶν βαρβάρων χειρούμενον,
οὓς ἐγὼ 'δίδαξα κλάειν τέτταρ' ἐς τὴν χοίνικα;
ΧΟ. ε'. εἶτα δῆτ' οὐ πόλλ' ἔνεστι δεινὰ τῷ γήρᾳ κακά;
δηλαδή· καὶ νῦν γε τούτω τὸν παλαιὸν δεσπότην
πρὸς βίαν χειροῦσιν, οὐδὲν τῶν πάλαι μεμνημένοι
διφθερῶν κἀξωμίδων, ἃς οὗτος αὐτοῖς ἠμπόλα,
καὶ κυνᾶς, καὶ τοὺς πόδας χειμῶνος ὄντος ὠφέλει,
ὥστε μὴ ῥιγῶν ἑκάστοτ'· ἀλλὰ τούτοις γ' οὐκ ἔνι
οὐδ' ἐν ὀφθαλμοῖσιν αἰδὼς τῶν παλαιῶν ἐμβάδων.
ΦΙ. οὐκ ἀφήσεις οὐδὲ νυνί μ', ὦ κάκιστον θηρίον;
οὐδ' ἀναμνησθεὶς ὅθ' εὑρὼν τοὺς βότρυς κλέπτοντά σε
προςαγαγὼν πρὸς τὴν ἐλάαν ἐξέδειρ' εὖ κἀνδρικῶς,
ὥστε σε ζηλωτὸν εἶναι· σὺ δ' ἀχάριστος ἦσθ' ἄρα.
ἀλλ' ἄνες με καὶ σὺ καὶ σύ, πρὶν τὸν υἱὸν ἐκδραμεῖν.
ΧΟ. ϛ'. ἀλλὰ τούτων μὲν τάχ' ἡμῖν δώσετον καλὴν δίκην
οὐκέτ' ἐς μακράν, ἵν' εἰδῆτ' οἷόν ἐστ' ἀνδρῶν τρόπος
ὀξυθύμων καὶ δικαίων καὶ βλεπόντων κάρδαμα.
ΒΔ. παῖε, παῖ, ὦ Ξανθία, τοὺς σφῆκας ἀπὸ τῆς οἰκίας
ΞΑ. ἀλλὰ δρῶ τοῦτ'· ἀλλὰ καὶ σὺ τῦφε πολλῷ τῷ καπνῷ.

ΒΔ. οὐχὶ σοῦσθ', οὐκ ἐς κόρακας; οὐκ ἄπιτε; παῖε τῷ ξύλῳ.
ΞΑ. καὶ σὺ προσθεὶς Αἰσχίνην ἔντυφε τὸν Σελλαρτίου.
ἆρ' ἐμέλλομέν ποθ' ὑμᾶς ἀποσοβήσειν τῷ χρόνῳ;
ΒΔ. ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ ῥᾳδίως οὕτως ἂν αὐτοὺς διέφυγες, ἀντ.
εἴπερ ἔτυχον τῶν μελῶν τῶν Φιλοκλέους βεβρωκότες.
ΧΟ. ιζ'. ἆρα δῆτ' οὐκ αὐτόδηλα τοῖς πένησιν,
ἡ τυραννὶς ὡς λάθρα γ' ἐ-
λάνθαν' ὑπιοῦσά με;
εἰ σύ γ', ὦ πόνῳ πονηρὲ καὶ κομηταμυνία
. . . .
τῶν νόμων ἡμᾶς ἀπείργεις, ὧν ἔθηκεν ἡ πόλις,
οὔτε τιν' ἔχων πρόφασιν,
οὔτε λόγον εὐτράπελον,
αὐτὸς ἄρχων μόνος.
ΒΔ. ἔσθ' ὅπως ἄνευ μάχης ἂν καὶ κατοξείας βοῆς
ἐς λόγους ἔλθοιμεν ἀλλήλοισι καὶ διαλλαγάς;
ΧΟ. ιη'. σοὺς λόγους, ὦ μισόδημε
καὶ μοναρχίας ἐραστά,
καὶ ξυνὼν Βρασίδᾳ, καὶ φορῶν κράσπεδα
στεμμάτων, τήν θ' ὑπήνην ἄκουρον τρέφων;
ΒΔ. νὴ Δί' ἦ μοι κρεῖττον ἐκστῆναι τὸ παράπαν τοῦ πατρὸς
μᾶλλον ἢ κακοῖς τοσούτοις ναυμαχεῖν ὁσήμεραι.
ΧΟ. ιθ'. οὐδὲ μέν γ' οὐδ' ἐν σελίνῳ σοὐστὶν οὐδ' ἐν πηγάνῳ·
τοῦτο γὰρ παρεμβαλοῦμεν τῶν τριχοινίκων ἐπῶν.
ἀλλὰ νῦν μὲν οὐδὲν ἀλγεῖς· ἀλλ' ὅταν ξυνήγορος
ταὐτὰ ταῦτά σου καταντλῇ καὶ ξυνωμότας καλῇ.
ΒΔ. ἆρ' ἄν, ὦ πρὸς τῶν θεῶν, ἡμεῖς ἀπαλλαχθεῖτέ μου;
ἢ δέδοκταί μοι δέρεσθαι καὶ δέρειν δι' ἡμέρας.
ΧΟ. κ'. οὐδέπω γ'· οὐχ, ἕως ἄν τί μου λοιπὸν ᾖ,
ὅστις ἡμῶν ἐπὶ τυραννίδ' ὧδ' ἐστάλης.

Versus 474. excidit, qui videtur alia in Bdelycleonem convicia habuisse.

V. 479. scribendum duxi *μάχης ἂν καὶ κατοξείας βοῆς*. Legebatur *μάχης καὶ τῆς κατοξείας βοῆς*.

V. 493. Legebatur *οὐδέποτέ γ'* et in altero versu *ἐπὶ τυραννίδ' ἐστάλης*. At curavit Aristophanes, ut pes pedi par esset syllabis.

Qui ante L annos a nobis philosophiae Doctores et liberalium artium Magistri creati sunt, eorum hi tres superstites sunt, viri plurimum reverendi, quibus Ordo noster semisecularem honoris fructum gratulatus est:

AENOTHEUS CHRISTIANUS GRIMM,
VARISCUS
DIOECESEOS HEILIGENSTADIENSIS IN EICHSFELDIA EPHORUS.

CAROLUS ERNESTUS THEOPHILUS RUEDEL,
AUMA-VARISCUS
THEOL. D. LIPSIAE AD AEDEM D. NICOLAI DIACONUS.

GODOFREDUS GUILIELMUS TROETZSCH
RICOBACO-VARISCUS
IN EPHORIA NUNC NEOSTADIENSI, OLIM ZWICKAVIENSI APUD STANGENGRUNENSES PROPE ZWICKAVIAM SACRORUM ANTISTES.

Hoc autem anno in numerum Magistrorum nostrorum receptus est vir excellentissimus

GEORGIUS HANSSEN
DOCTRINARUM POLIT. PRACT. ET CAMERAL. PROFESSOR ORDINARIUS KILONIA HUC VOCATUS.

Creati autem et publice declarati philosophiae Doctores artiumque Magistri sunt hice.

ERNESTUS GUSTAVUS GUILIELMUS ZIMMERMANN.

Natus Berolini a. XVIII. Pater erat director gymnasii Fridericowerderani, professor mathesis in schola regia tormentariorum. Mater fuit e gente Schmidtia. Superstes ei unus frater est, D. iur. Spandoviae summo magistratu fungens. Pater, discipulus Kantii, artis paedagogicae peritissimus, ad humanitatem eum excoluit, eruditumque per aliquot annos in gymnasio, cui Koepkius praeerat, aliisque in scholis, a. XXX. Parisiis, magna enim cum eo itinera fecit, alicui illustrium institutorum in disciplinam traditurus erat, quum expulsio regis mense Iulio id consilium irritum fecit. A. XXXVIII. in Academia Berolinensi medicinae operam dare coepit, quumque praeter logicas scholas Wolffii Turtium, Mitscherlichium, Linkium, Muellerum, Schlemmium audivisset, philosophiae et historiae studia amplexus est ducibus Heckero et Werdero. Praeterea elegantioribus litteris delectatus nonnulla scripsit his libellis inserta: *Berliner Modenspiegel*, *Berliner Tagesblatt*, *Breslauer Zeitung*. Superiore anno mortuus ei pater est, securus de sorte filii, cui et fratris et amici Alberti Schwarzii praesidio prospectum sciret.

EDUARDUS FERDINANDUS HEIKE.

Hunc parentes Gerardus Frider. Guil., V. D. minister, et Augusta Frider. Schulzia, natum sibi Neostadii ad Magdeburgum a. I. quum sedulo educassent, tradiderunt Magdeburgi gymnasio b. virginis. Absoluto cursu scholastico Academiam Halensem a. XX. adiit, theologisque operam dedit Knappio, Niemeyero, Gesenio, Wegscheidero, Maassio, aliis. Exacto triennio, superatoque pro schola examine, Magdeburgi praeceptoris munus in schola propaedeutica praesidem Zerrennerum habente a magistratu sibi mandatum suscepit. Paullo post in ordinem candidatorum theologiae, et postea ministerii est acceptus. Ab a. XXIII. adscriptus numero praeceptorum illius scholae, a. XXXIII. eius rector factus est, pie venerans Zerrennerum, magistratumque urbis.

GUSTAVUS RASMUS.

Natus a. XVII. quum Adolphus pater parvulo mortuus esset, matris Sophiae e gente Schuetzia paupertatem et pietatem puer comites habuit, ita ut vix ipse primis elementis imbutus alios pueros docere coactus esset. Itaque ut ludi magister olim futurus gymnasium Dessaviense adiit, cuius director Stadel-

mannus eum vehementer ad litterarum studia excitavit. Annos XX. agens Berolinum profectus est, ubi se philosophiae et philologiae dedidit, in quibus studiis multum debet consuetudini Droysenii et Stuhrii. Sic acto quadriennio Dessaviam matris adiuvandae caussa reversus examen subiit.

HERMANNUS KELLER.

Lucem vidit Brunsvigae a. XXII. parentes habens Fridericum et Philippinam e gente Groeningia. Elementis litterarum in schola civica imbutus, a. aetatis X. in gymnasium Brunsvicense inferius receptus est, ex eoque in superius gymnasium transgressus, ibique Kruegeri maxime disciplina per sex annos usus, Berolinum iuris prudentiae caussa petiit. Quumque per tria semestria Dirksenium, Rudorfium, Roestelium, Heffterum, deinde autem Gablerum, Hothonem, Ermanum audivisset, nostra in Academia tractare doctrinas illas perrexit, adiutum se praedicans ab Albrechto, Puchta, me, Niednero, Buelavio, aliisque.

FRIDERICUS GUILIELMUS AUGUSTUS WULFF.

Brandenburgi Megalopolitanorum a. XVII. humili loco natus, puer decennis scholae urbis commissus, multis precibus a parentibus impetravit, ut sibi Latinae linguae discendae copia fieret. Id assecutus est disciplina Arndtii, viri et doctissimi et sanctissimi, quem Latina, Graeca, Hebraica docentem pie omnes eius discipuli venerati sunt. In Academiam abeunti consules patriae urbis ei in tres annos stipendium L. Ioachimicorum concesserunt, aliique benevoli patroni beneficia contribuerunt. Philologiae se dediturus quum Lipsiam petere vellet, parentibus obsequens, qui eum propter imbecillam valetudinem quam proxime a se abesse cupiebant, contulit se Berolinum a. XXXVI., ubi Trendelenburgii, Boeckhii, Droysenii, Heysii scholis per unum annum interfuit. Inde duos annos apud nos commoratus est, magistrosque habuit me, Klotzium, Westermannum, Wachsmuthium, Krugium, Heinrothum, Niednerum, Hartensteinium, Biedermannum. A. XXXVIII. a me in Societatem Graecam admissus est. Quod in Grossmanni notitiam venit, eiusque in domum receptus est, et utilissimum sibi et iucundissimum fuisse gratus profitetur. Mense Aprili a. XXXIX. domum reversus, liberos consulis alterius in urbe patria educandos accepit, viri maxime sibi colendi.

GUILIELMUS IULIUS KLENGEL.

Natus sum Lipsiae a. XVIII. patre Mauricio, matre Susanna, e gente Rogeria. Institutus primum in ludis publicis, ab anno aetatis quarto decimo frequentavi scholam Nicolaitanam praeceptoribus utens Nobbio, Frotschero,

Forbigero, Kleeio, quorum institutio quantum de me meruerit nunquam e memoria excidet. Anno XXXVI. inter cives nostrae academiae receptus, primo theologiae me dare constitueram, ductus amore carissimi et amicissimi praeceptoris, quem sperabam studiis meis moderaturum esse. Quod quum fatum mihi invideret, commutavi sententiam et missa theologia philologiae operam dare volebam. Quantum in me erat, incubui litteris, nam in dies crescente oculorum imbecillitate fere alterum tantum temporis degere me oportuit in academia, quam socios et amicos, ita ut verear ne Sisyphi lapidem volvam. Audivi philologos Godofredum Hermannum, Hauptium, Westermannum, Klotzium, Beckerum, Brockhusium; historicos Wachsmuthium, cuius erga me benevolentiam semper recordabor, et Flathium; denique philosophos Drobischium et Weissium viros quam maxime venerandos. Hi viri et doctrina et consuetudine tanto horum studiorum ardore me incenderunt, ut me nunquam ab iis esse recessurum credam.

ARNOLDUS DIETERICUS SCHAEFER.

Natus in agro Bremano a. XIX. educatus sum in domo fratris Guilielmi, qui parentibus praematura morte mihi ereptis eo in me fuit animo, ut nunquam neque paternam curam neque amorem fraternum desideraverim. A. XXXVIII. a gymnasio urbis patriae dimissus universitatem Lipsiensem adii theologiae et philologiae studia persecuturus: mox missa theologia totum me philologiae dedi, praeceptores nactus God. Hermannum et Maur. Hauptium, quorum ille regio seminario philologico et societati graecae, hic societati latinae sodalem me adscripsit. Hermannus graecarum literarum, quibus maxime tenebar, amorem firmavit et, qua via et ratione studia earum institui debeant, me edocuit: Hauptii disciplina cautum est, ne prae graecis contemnerem latina. Huic viro et nostrae linguae atque poeseos accuratiorem notitiam debeo. Sanscritae linguae elementis Brockhusio duce imbutus sum. In historicis praeceptores habui Hassium et Wachsmuthium, a quo in societatem historicam adscitus, cum magno fructu amplius triennium eius societatis exercitationibus interfui: in archaeologicis praeter Wachsmuthium, Beckerum, in philosophicis denique Drobischium et Hartensteinium. Qui viri omnes non solum eruditione sua studia mea auxerunt, sed humanitate etiam atque benevolentia in perpetuum me sibi obstrinxerunt: nec possum facere quin Hassii erga me beneficia pie grateque commemorem.

FRIDERICUS GUILIELMUS HOLTZE.

Natus Halberstadii anno XIII. patre Ioanne Henrico Ludovico, matre Augusta Roehlia, tertio aetatis anno una cum patre Numburgum delatus, primis literarum rudimentis tum a praeceptoribus privatis, tum a patre imbutus, nondum undecim annos natus in gymnasium cathedrale Numburgense missus

sum, cui per septem annos civis adscriptus fui. Vere anni XXXI. examine feliciter superato in academiam Halensem me contuli, philologiae, philosophiae et mathematicis operam daturus, ubi inprimis Bernhardyi, Meieri, Foertschii, Scherkii, Leonis, b. Gesenii et Wegscheideri scholas frequentavi, itemque seminarii regii philologici sodalis factus sum. Duobus annis et dimidio Halis exactis in Lipsiensem commigravi academiam, ubi virorum clarissimorum, Godofredi Hermanni, Wachsmuthii, Klotzii scholis summa cum utilitate et voluptate per annum interfui, itemque ab Hermanno in societatem Graecam receptus sum. Studio academico absoluto auctumno anni XXXIV. Numburgum redii, ubi in gymnasio cathedrali Foertschii auspiciis florente lectionibus nonnullis publicis susceptis, vere anni XXXV. examine, quod futuris praeceptoribus gymnasiorum subeundum est, Halis superato, in gymnasio Numburgensi docere perrexi usque ad aestatem anni XXXVIII., quo cognatos meos visurus Seidenbergam, Silesiae oppidum, me contuli, quo facto, quum testimonium Halense non omnibus ex partibus mihi satisfaceret, vere anni XXXIX. Vratislaviae alterum examen subii, quo feliciter superato in Polonia Borussica per decem menses praeceptoris domestici munere functus, vere anni XL. Numburgum reversus, denuo in gymnasio docere coepi et adhuc doceo. Inde a festo Michaelis anni XLI. hebraicae linguae scholae in prima et secunda classe gymnasii nostri ad me delatae sunt.

AUGUSTUS HENNEBERGER.

Natus sum Meiningae anno MDCCCXXI. a. d. XXI. m. Iun. patre Georgio Adamo, Meiningensis gymnasii professore, matre Augusta ex gente Vierlingia. Prima litterarum elementa a patre edoctus in ludum publicum, mox in gymnasium Bernhardinum receptus, praeceptoribus usus sum adeo bonis, ut maximas eis gratias in perpetuum habeam. Inde post septem annos ut philologiae et theologiae operam navarem, in academiam Lipsiensem commigravi. Ibi ab Hartensteinio via mihi monstrata est ad eam philosophiam, quae plane quatenus eam teneo mihi probatur, eademque ita ampla est et copiosa, ut etiamnum vix parvam eius partem me absolvisse existimem. Atque haud minus in reliquis feliciter mihi cecidit. Ut enim taceam de scholis publicis maxime utilibus, quas adire licuit, contigit mihi, ut me Hermannus in seminarium philologicum regium, Wachsmuthius in historicam, Klotzius et Hauptius in latinas suas societates cooptarent. A quibus viris tantopere sum adiutus, ut referre quidem gratiam nunquam possim, habeam semper. Post duos annos Berolinum profectus studium bonis litteris navare perrexi; inde Lipsiam redii.

BEATUS HELDENMAIER.

Natus sum Ebroduni in comitatu Valdensi Helvetiae a. XCVI., die VIII. mens. Octobris. Scholae a celeberrimo Pestalozzio a. V. in urbe natali insti-

tutae eodem anno discipulus sum factus. Ab anno XIII. magistri in hac ipsa schola officio functus sum. Berolinum a b. Plamanno vocatus, ut Kloedenii, ad regendum Seminarium Potsdamense translati, locum obtinerem, veni in hanc metropolin a. XVII. Usque ad a. XXIII. simul magister scholae fui et auditor assiduus lectionum in Universitate Regia habitarum. Mathematicen et naturae scientiam maxime excolui, nec non Schleiermacheri, C. Ritteri, Weissii, Ideleri, Linkii aliorumque amicitia et familiaritate sum gavisus. Urbem hanc non reliqui nisi quum superato examine rigoroso, pro facultate docendi in gymnasiis publicis dignus iudicatus essem, qui tali munere fungerer. Deinde Parisios profectus studia mea continuavi et Cuvierum, Guizotum, Villemainum, Gay-Lussacium, Dulongium, Thenardum, Aragonem, Beudautum aliosque viros celeberrimos docentes audivi. Aliquot mensibus citra duos annos tali modo peractis ab illustri Barone, ministro ecclesiae anglicanae, invitatus sum, ut cum eo in Brittaniam transirem ibique scholam ad principia Pestalozziana accommodatam instituerem. In hoc opere per quatuor annos fui, schola Barroniana valde florente et fama laudata. Quum iam in continentem redire constituissem, Anglus quidam humanitate insignis, Clar. Wood, scholam quae centum liberis pauperibus sufficiat, Hofwilensi similem, multo tamen maiorem, in terris suis desiderans, a me eam condi voluit. Tamen propter turbas publicas anni XXX. hoc consilium viri magnanimi in meliora tempora differebatur. Interea ipse liberos huius familiae litteris et artibus institui. Postquam autem domus Woodiana incendio destructa fuerat, scholam publicam aperire mihi visum est. Igitur inde ab initio mensis August. anni XXXIV. in hoc officio sum versatus multosque educavi iuvenes, qui postea in Universitate Oxfordiensi et Dublinensi moribus et litteris excelluerunt.

HERMANNUS VICTOR REINOLDUS PECK.

Natus sum Gorlitii a. XX. patre Beniamine Theophilo mercatore, matre gentis Frenzeliae. Ex privata institutione annum octavum agens gymnasio urbis traditus sum, in quo decem annos versatus a. XXXIX ad Academiam Lipsiensem accessi, ibique per quinque semestria philologiae magistros habui Hermannum, Hauptium, Westermannum, Klotzium, Stallbaumium, Beckerum, cuius et scholis archaeologicis et societati archaeologicae diligenter interfui. Praeterea philosophicas lectiones Krugii, Drobischii, Hartensteinii, historicas Wachsmuthii et Hassii frequentavi, nec Drobischii et Moebii mathematicas neglexi. Auctumno a. XLI. Berolinum me contuli, ubi Boeckhio, Bekkero, Lachmanno, C. Rittero, Zumptio, Benckio, Micheleto praeceptoribus usus sum.

AURELIUS REMIGIUS MOELLER.

Gothae natus anno XVIII. Gymnasium eiusdem urbis frequentavi. A. XXXVIII. testimonio maturitatis impetrato, postquam me studiis philologicis

dedere iam dudum statueram, primum Ienam petii, in qua universitate intra duos semis annos audivi viros doctissimos, Scheidlerum, Friesium, Goettlingium, Ludenium: deinde quum ad acrius persequenda philologiae studia commodiorem cognovissem academiam Lipsiensem, per annum unum ibi et semis complures, maxime G. Hermanni et Stallbaumii scholas frequentavi.

LEOPOLDUS FRIDERICUS PROWE.

Natus sum Thoruni a. XXI., cuius urbis Gymnasium quum per octo annos frequentassem, anno h. s. XL. in Academiam Lipsiensem me contuli theologiae et philologiae operam daturus; post annum vero mutato consilio philosophiae et philologiae studio me tradere constitui. Philologicis autem scholis interfui Hermanni, qui me in seminarium philologicum recepit, Westermanni, Beckeri, Klotzii, Stallbaumii, Hauptii, philosophicis Hartensteinii, Niedneri, Weissii, Heinrothi, historicis Wachsmuthii; ex theologis audivi Winerum, Theilium, Angerum, Lindnerum. Quorum virorum piam gratissimamque memoriam nullum unquam tempus in animo meo obliterare poterit.

CAROLUS ALBERTUS STAPFER.

Natus sum a. VII. patre Friderico, matre Henrica e gente de Gross, in vico Bernensi, cui nomen est Diessbach, ubi pater ecclesiae ministri munere fungebatur. Ab hoc quoad poterat, elementis Latinae et Graecae linguae imbutus, quum ipse in academiam Bernensem, ut professoris munus susciperet, vocatus sedem mutasset, a duodecimo anno scholis publicis urbis interfui. Post haec, quum mihi secundum leges, quae tum vigebant, ab illa academia discedere liceret, primo Erlangam me contuli, ubi annum, inde Lipsiam, ubi biennium versatus sum, quo eorum, quae ad humaniores artes atque ad ipsum theologiae studium pertinerent, accuratiorem mihi pararem doctrinam. Domum reverso per septem deinceps annos complura mandabantur munera, ita, ut eo magis negotiis distinerer, quo minus mihi usitata erant nova illa officia. Ac sic quidem fieri non potuit, quin quamvis invitus, rarius ad studia illa reverti possem. Eodem modo mense Aprili a. XLI. ea in me translata sunt officia, quae ad munus ecclesiasticum in vico Ferenbalm, cuius altera pars in ditione Bernensi, altera in Friburgensi sita est, spectabant, quam quidem conditionem usque ad 1. Iul. a. c., ubi mihi potestas itineris faciendi contigit, tenui.

FRIDERICUS GUILIELMUS TITTMANN.

Natus sum Dobelini, d. IX. m. Oct. a. XIII. ex quinque liberis superstitibus minimus, unus filius. Pater, qui mercaturam exercebat, annum mihi agenti septimum morte ereptus est: mater, ex gente Steyeria, adhuc superstes.

Literas institui coeptus sum primum in publico urbis patriae ludo, deinde in privato Proesdorfii tunc theologiae candidati, quocum etiamnum pietatis et amoris vinculo coniunctus sum. Annum agens quartum decimum vere a. XXVII. in scholam provincialem Afranam receptus ibique per sex annos educatus sum, praeceptoribus tunc meis linguarum graecae et latinae maxime Bornemanno, Kreyssigio, b. Koenigio, Schulzio, vernaculae Beckero, hebraicae Krehlio, historiae Oertelio, matheseos Wundero. Ceterum tunc ad nullam artem prae ceteris incubui. Anno aetatis vicesimo vere a. XXXIII. Lipsiam me contuli. Ibi theologiae potiori addicta opera, exegeticam artem maxime a Redslobio, Winero, Theilio, historiam ecclesiae a Niednero, dogmaticam disciplinam a Grossmanno, homileticam a Krehlio et Lindnero, philosophiam, quam nunquam negligendam esse intellexeram, ab Hartensteinio potissimum didici, cuius societati philosophicae duos annos et dimidium adscriptus fui. Postquam in his studiis quadriennium transegeram, excepto semestri fere spatio, per quod febri laboravi, superato examine vere a. XXXVII. Dobelinum redii, ibique per duos annos et dimidium Schwabii apud nos consulis filium unum prope puberem erudivi. Deinde examine pro ministerio interim absoluto, mense Octobri a. XXXIX. Lipsiam redii et denuo in album academiae relatus sum ineunte aestate a. XL. Hic nunc eum huc usque tenui studiorum cursum, ut nec theologicas literas neglexerim, praeceptoribus usus Krehlio ac b. Bauero, quorum seminariis homileticis deinceps interfui, et Illgenio, qui me in societatem historico-theologicam admisit. Potissimum autem philologicam, et quantum fieri id potuit per virium mearum modulum, etiam philosophicam artem huc usque tractavi; magno mihi commodo haec fore ratus, si quando ad theologicas literas me recepissem, verum eo potissimum consilio, ut par evaderem muneri scholastico cum discentium utilitate administrando. Duces autem ea in re et adiutores Beckerum maxime habui, Hermannum et Klotzium, quippe in archaeologicam et graecam societatem atque in seminarium philologicum receptus, et cum Drobischio Hartensteinium. Gratias praeterea quam maximas his literis ago Beckero et Hartensteinio, qui olim suum discipulum amicissime denuo me exceperunt et in persequendo studiorum meorum cursu adiuverunt, eidemque Hartensteinio et Illgenio, qui in consequendis magisterii honoribus mihi succurrere.

ERHARDUS CAROLUS BUSCHBECK.

Natus sum a. XVI. Cothenis, oppido Anhaltino, patre Ioanne Christiano, mercatore, matre Guilielma e gente Korchia, quae superstes est, patre nuper defuncto. Primis litterarum rudimentis imbutus gymnasium Cothenense per septem annos frequentavi. Inde vere anni XXXIV. Lipsiam me contuli ibique theologiae studiosis adscriptus unum annum et sex menses egi. Tum Berolinum petii, ubi duos annos commoratus examen pro candidatura et ministerio subii. Cothenis auctumno a. XXXVII. Berolinum redux pueros quosdam mihi cognatos per biennium institui, quo exacto Pragam delatus iuventuti erudiendae operam

dedi. Triennio ita elapso Lipsiam denuo commigravi, eo maxime consilio, ut si qui vellent discere, linguas gallicam et anglicam docerem; qua re nunc potissimum occupor.

WOLDEMARUS CAROLUS WENCK.

Natus sum Lipsiae, die IX. mensis Aprilis anni MDCCCXIX. Patre dilectissimo, Carolo Christiano Wenck, supremi iudicii aulici consiliario, Lipsiensis academiae professore, iam inde ab anno aetatis nono orbus, quam egregiam matris, Carolinae Charlottae e gente Haasia, curam diligentiamque expertus sim, verbis exsequi nequeo. Primis litterarum elementis ab optimis viris, Krüegero et Ungero, quorum nunc alter Schenkenbergae, alter Berggiesshuebelii sacris curandis praefectus est, me imbutum Illustris Thomana excepit, cuius scholae doctissimis praeceptoribus per septem semestria auditis, a Clarissimo Schillingio Lipsiensis academiae civibus adscriptus sum; historiarum cognitioni operam navavi. Nec possum, quin, hac occasione data, maximas, quas debeo, gratias agam viris excellentissimis Hermanno, Wachsmuthio, Hartensteinio, Drobischio, quorum me non solum publica institutione, sed etiam familiari consuetudine usum esse, pulcerrimis, quibus patria urbs me cumulavit, beneficiis, adnumero semperque adnumerabo. Tria semestria in academia Lipsiensi transacta secutum est par temporis spatium, quo Berolini Rankii maxime scholis interfui. Aestate anni XL. iterum Lipsiensis academiae civitate gavisus, per duos annos Heidelbergae Clarissimum Schlosserum sicuti magistrum doctissimum, ita et fautorem habui benevolentissimum.

IOANNES PETRUS IORDAN.

Natus in pago Lusatiae superioris Czischkowitz, prope Budissam urbem medios inter Wenedo-Serbos sito, a. XVIII. patre Nicolao, qui liberum ibidem fundum rusticum tenet, et matre Maria e gente Kokulia. Primos pueritiae annos parentum cura domi custoditus sexennis ad familiares translatus, efficaci institutione b. Patris Tecelini Mieth, Cisterciensium Ordinis Novocellae aliquando presbyteri, scriptoris wenedo-serbici laudatissimi usus paucis post annis eo perveni, ut a. XXX. in Gymnasium Budissense receptus sim. Menses XVI. ibi commoratus Pragam me contuli, ubi septem per annos in Seminario Venedo-Lusatorum educatus ab excellentissimo viro D. Francisco Prihonsky, eodem tempore Seminarii illius praeside regente, nunc autem Canonico Budissensi, cuius memoria propter innumera quae in me contulit beneficia nunquam ex animo meo exstinguetur non solum gymnasii micropragensis classes percurri Zimmermanno praeceptore usus, sed mense iam Decembri anni XXXIV. inter cives academicos C. R. Carol. Ferd. Universitatis Pragensis receptus, totum etiam philosophicorum studiorum cursum confeci anno XXXVIII.

His peractis, quum plures iam annos praecipuam slavicarum linguarum earumque rei literariae cognitioni operam navassem, deinceps strenue mihi

proposui, Seminario theologico relicto totum me his studiis dedere, omnique qua possim assiduitate efficere, ut novae, quae inter slavicas gentes extitit vitae cognitionem etiam Germanice doctis hominibus quantum valeam faciliorem reddam. Quapropter duos per annos omnes quos urbs haec czechica celeberrima habet thesauros literarios perscrutatus, postquam a. XL. serbicae linguae Grammaticam edidi, mense Octobri eiusdem anni Lipsiam me contuli.

CAROLUS FRIDERICUS ELZE.

Natus sum Dessaviae, a. XXI. parentibus Carolo Guilielmo, et Ludovica de Marées. Pater tum Altenae, vico prope Dessaviam, munere ecclesiastico fungebatur, qui quum, me circiter quinquenni, Dessaviae Seminario Ducali scholaeque elementariae praefectus esset, primum hac in schola, deinde in Gymnasio Ducali institutus sum, a quo rite superato examine dimissus Lipsiam me contuli studiis philologicis operam daturus. Ibi per biennium frequentavi scholas G. Hermanni, Beckeri, cui viro optime de me merito quam maximas habeo gratias, Drobischii, Hauptii, Westermanni, Klotzii, Flathii, Nobbii. Peculiari quoque Beckeri benignitate in Societatem eius Archaeologicam receptus sum. Vere anni XLI. Berolinum petii, ubi per alterum biennium audivi Boeckhium, qui me Seminarii Philologici sodalem facere dignatus est, Schellingium, Trendelenburgium, Schoellium, alios.

CAHATHIUS GUILIELMUS WOLFSOHN.

Natus Odessae a. XIX. Parentes sunt Matthias et Fanny e gente Iampolletia. Veteri fidei addictus quum per sex annos a magistris scholae Iudaeorum a Woronzovio principe conditae educatus esset, lyceum Odessanum frequentare coepit, e quo tamen mox abiit, litteras Germanicas plane negligi videns. Igitur tractata per annuum spatium Latina lingua duce P. Viola, itemque Gallica, praeceptorem litterarum humaniorum per quadriennium habuit Car. Aug. Boettigerum, verbi divini olim apud evangelicos magistrum, cui se gratissimum profitetur, nec minus Leonardo Grossmanno, qui ei in Academia Vilnensi studiorum socius re, consilio, aemulatione adiutor fuit. Anno XXXVII. Lipsiam venit, quumque testimonia ei non mitterentur, quod Odessa lue capta undique septa tenebatur, maturitatem testante Stallbaumio rectore scholae Thomanae, civibus nostris adscriptus est. Medicinae primum, ab a. XXXIX. autem historiae et philosophiae operam dedit. Magistros habuit Hauptium, Klotzium, Marbachium, Flathium, Hartensteinium, Drobischium, Niednerum, Wachsmuthium, Brockhusium, Weissium, in rebus autem ad medicinam pertinentibus Weberos, Heinrothum, Schwaegrichenium, Poeppigium, Kunzium, Fechnerum, Kuehnium, Lehmannum. Praeter hos valde laudet I. B. G. Lippertum, med. D., qui aeque de aegrotante ac de valente optime meritus sit,

item Viti Meyeri, Dresdensis, med. D. maximam benevolentiam, virosque sibi amicissimos Sigism. Frankenbergium, Christ. Alb. Crucigerum, Herm. Schauenburgium, Theod. Fontanium.

CAROLUS FERDINANDUS ZEHME.

Natus sum in vico Grossstaedteln anno h. s. XX. Parentes habeo Ferdinandum, verbi divini ministrum in eo vico et Carolinam e gente Wolfia. Mater non solum primis literarum artiumque rudimentis me instruxit, sed ad primas etiam dei rerumque divinarum notitias, reverentiam, amorem adduxit. Atque cum iam excessissem pueris, ita semper mecum versata est, ut, quae sparserat in puero semina, tueretur, aleret, maturaret. Postea cum me totum patri instituendum docendumque commisisset, is neque inchoatum a matre opus intermisit, et corporis vires ut crescerent et corroborarentur, studiose curavit. Igitur quotidie me variis laboribus perferendis exercuit et sobrietati temperantiaeque omni modo adsuefecit. In ignaviam autem et segnitiem gravissime animadvertit. Sed quos tot saeculorum magistros et omnium fere literarum et artium aut inventores aut propagatores cognoverat, veteres et Graecos et Romanos, horum ut iam pueri notitia et cognitione imbueremur, nec tempori nec operae pepercit. Ita me quatuordecim annos natum, gymnasii Nicolaitani Lipsiensis institutioni tradidit. Praeceptoribus ibi mihi carissimis usus sum Nobbio et Funkhaenelio, quorum alter Latinae, alter Graecae linguae totiusque antiquitatis scientia insignis. Praeter hos Naumanno, qui res sacras explicuit, et Palmio, cuius, cum in Funkhaenelii locum successisset, deinde contigit ut in amicitiam reciperer. Quatuor fere per annos sub illorum disciplina edoctus, exeunte h. s. anno XXXVIII., aetatis anno XVIII. ab scholae angustiis ad academiae nostrae spatia transgressus sum. Ubi cum theologiae operam dare statuissem, tamen fere per integrum annum in eorum studiorum tractatione perseverandum duxi, quibus per scholasticum quadriennium operam navaveram. Praeterea audivi Drobischium et Hartensteinium, philosophicas disciplinas tradentes, quos quam vellem ipsi scirent, quam grato colam animo. Hermanni autem scholis me interfuisse, semper non sine magno voluptate recordabor. Iam vero theologi nomen professus Winerum potissimum, Niednerum et Theilium audivi. Praeter hos autem longe egregios viros unum habeo, quem si praeterirem silentio, vereor ne ingratissimi animi suspicionem moverem. Wolfium dico, ecclesiae Petrinae Lips. quondam antistitem, propinquitatis vinculis mihi coniunctissimum, quem et propter singularem multarum rerum scientiam doctrinaeque elegantiam et propter miram ingenii ubertatem iudiciique acumen et subtilitatem et propter eximiam, qua erga omnes erat, humanitatem et benevolentiam ita diligo, ita veneror, ut paene habere mihi exemplar videar, quod intuens me vitamque meam conformare possim. Huius utinam iam possem admirari facundiam, huius interesse colloquiis, huius exquirere consilia, huius ex ore ad optima quaeque appetenda utinam iam exci-

tari possem. Cuius sermonibus et consuetudine cum mihi contigisset, ut paene quotidie uterer, factum est, ut ab antiquitatis humanarumque artium cura et admiratione ad theologiae studium divinarumque rerum contemplationem traducerer. Graecarum enim Latinarumque literarum partes quamvis Wolfius fere omnes mente complecteretur tantique illas aestimaret, ut nollet cuiquam verae doctrinae laudem concedere, nisi qui natus quasi in illis et adultus esset, tamen habuit praestantius quoddam et perfectius, quod neque ex rhetorum scholis oratorumve veterum auditionibus neque ex poëtarum institutione reportaverat. Hac sua infucata pietate animique constantia, hac vitae simplicitate et ab omni ostentationis genere alienissimo virtutis veritatisque studio ita me sibi allexit, ut, omnibus aliis posthabitis, eandem, quam ille incesserat, viam sequi et ad theologiam me totum convertere statuerem. Itaque ne ullam partem literarum, ad theologiam pertinentium omitterem, quantum theologorum scholae mihi otii concesserunt, in philosophia religionis, quam dicunt, accuratius cognoscenda posui. Nec non historiam philosophiae diligentius tractandam censui, maxime eas eius partes, quae, quo philosophia theologiae vinculo iuncta sit, quamque illa ad promovendam explicandamque theologiam vim habuerit, prae caeteris testimonio sunt. Superato autem non sine aliquo studiorum laude examinis publici periculo, quod iis, qui ad candidaturam concionandique licentiam adspirant, subeundum est, duobusque mensibus in itinere per Noricum, Rhaetiam et Bavariam consumptis, cum tempus admonere videretur, ut tandem, quibus per triennium in academia nostra operam dedissem, ea transferrem in vitae usum, ante hos sex menses contigit, ut a patre dignus iudicarer, cui pueros, quos curae ac disciplinae suae mandatos habuit, instituendos educandosque traderet.